

# Universitätsbibliothek Wuppertal

Ivstiniani Avgvsti Historia

Procopius <Caesariensis>

Lugduni, 1594

Gnomologia Procopagathiana

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.  
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-147](http://urn:nbn:de:hbz:468-1-147)

GNOMOLOGIA  
PROCOPAGATHIANA,  
id est,

SENTENTIÆ EX PRO-  
copio, Agathia & Iornande, hoc tomo  
comprehensis collectæ, & ordine Al-  
phabeti digestæ.

A

*Aduersitas.*



ORTVNA aduersa nullo studio  
corrigi potest: malis autem ex cul-  
pa prouenientibus voluntas faci-  
le medetur. *Procop. de bello Pers.*  
*lib.1.*

*Adulatores.*

Id vſu quenice solet, vt qui ad omnes accedunt,  
& res miras arque adeo forte absurdiores inten-  
hiantēsque audiunt, hand difficulter pēt eum fal-  
lantur qui & sua iactare sit solitus, & ad gratiam a-  
liena perinde ingentia explicare, quum minus intel-  
ligitur qualisnam sit, qui vel suas vel alienas laudes  
canat, & quis ille sit qui laudatur, vel cuius rei gra-  
tia laudetur. *Agath. b. 8. lib.2.*

*Aedificia.*

Ad vrbium ornamenta, aedificia, quæ antea nul-  
la fuissent, construere, sapientum fermè virorum  
inuentio fuit, & ciuiliter viuere percallētum: quæ  
verò ad pulchritudinem extant delere, inspien-  
tium proculdubio est, & quos minime pudeat in  
sua malignioris naturæ argumentum monumen-  
ta posteritati relinquere. *Procop. de bello Goth. lib.3.*

## GNOMOLOGIA.

### Ambitio.

Constat id longè esse præstantius, sua vt quisque securè possideat, quād dum aliena nimium appetit, vel de necessariis admodum rebus periclitetur.  
*Proc. de bello Goth. lib. 2.*

### Ambitiosi.

Homines qui temerè cuiquā rei idcirco incumbunt, vt vitam deinceps per delicias ducant, haud quaquam animos sistere possunt: sed maiora quædā operiuntur ac bene sperando continentē & tandem procedunt, quoad vsque tandem vel ea priueniunt felicitate quam consecuti ante a fuerant. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

### Amici incerti.

Qui præsentia interuertere habent in animo, in amicos vehementer causas excitant. quibus enim amicitiæ ius minimè placet, leues & nullius momenti occasiones commentari conantur. *Idem, de bello Pers. lib. 2.*

### Amicus.

Haud aliter amicus discerni ab hoste potest, nisi ex incidentium rerum euentu, & utrum recte an aliter animo sit affectus. *Agath. lib. 4.*

### Appetitio.

Facilè omnes appetunt quæ pro vtilitate tentantur. *Iorn. de reb. Geticis.*

### Arma iniusta.

Fieri non potest, vt qui vel iniuriam fecerit, vel vim fortè intulerit, in certaminibus ipsis probè se gerat; quandoquidem pro singulorum vitæ conditio regitur & belli fortuna. *Pr. de bello Goth. lib. 3.*

### Audaces.

Audaciores sunt semper qui inferunt bellum. *Iorn. de reb. Geticis.*

### Audacia.

Insulsa audacia in exitium ducit: prudens vero cunctatio

## GNOMOLOGIA.

cunctatio seruare satis est apta. *Procop. de bello Pers. lib. 2.*

Qui de omnibus decertat, vite finem simul cum malis omnibus in exitu belli commemorat. *Idem, de bello Vandil. lib. 2.*

A fortitudine se cernitur audacia: harum altera cuicunque accesserit, dedecus ac discrimen inducit altera, virtutis opinionem. *Idem de bello Goth. lib. 1.*

### B.

#### *Bella.*

Non omnia est opera pretium credere fortunæ, neque bella putare cuncta bene succedere, quum nihil omnino inter res humanas, præterquam hominis propositum, calamitate careat. Cuncta enim sibi prospera futura pollicentes, spes non ex voto postea succedens, magis exulcerat. *Idem, de bello Pers. lib. 1.*

Non magis corporis robore quam consilio & prudenteria bella geruntur. *Agath. lib. 2.*

#### *Bella ciuilia.*

Vbi magni esse videntur, & non impares aut dubij potentatus, ibidem & necessarium est omnino & multis de causis, ut animi fiant inflatores, honorumque & primatus cupiditates, aliquique infiniti affectus animorum, ut perturbationis ita & seditionum plenissimi subortantur. *Agath. lib. 1.*

#### *Bellorum causæ.*

Deum esse præliorum & cædium ducem non conuenit, eum namque qui & summae sit bonitatis, & malorum abactor, homicidam esse, & præliis delectari, nec affirmanti quidem fidem sim præbiturus. Sed in cupiditates & iniusticias animi hominum sponte labuntur, discordiasque & perturbationibus omnia complét. Hinc nimirum perniciies affatim occurrit, nationesque diripit mortalium,

## GNOMOLOGIA.

& mortes infinitæ exoriuntur. *Idem, eod. lib.*  
*Bellator.*

Nihil fortis suavis, quam vindictam manu que-  
rete. *Iorn. de reb. Getic.*

*Bellum.*

Bellum & regnum omnium inter homines ma-  
xima esse palam est. *Proc. de bello Pers. lib. 1.*

Bellum præter cætera, sana ac diligentि consul-  
tatione administratum, feliciter succedere solet. *I-  
dem, lib. 2.*

Neque hominum multitudine, neque arborum  
proceritate, sed animorum virtute rem belliticam  
metiri ac expendere fas est. *Idem, de bello Vandil.  
lib. 2.*

Non pro hostium voluntate bella gerere homi-  
nes consueverunt, sed sua quisquæ lege disponit,  
quæ optima facta illi sùt visa. *Idem, de bello Goth. lib. 1.*

Bellum non temeraria solet celeritate geri, sed  
optimè consulendo ac prouidendo temporum mo-  
menta metimur. *Idem, lib. 2.*

Rei bellicæ ars ipsa deposita, ut qui militum nu-  
mero præstat, ex aperto & interdiu gerat bellum. *lib. 3.*

*Bellum iniustum.*

Hominum multitudo non ex lege, sed per iniu-  
stiam & scelus congregata strenue quicquam in  
bello agere non potest, quum nullo modo virtus  
cum iniuritate congrēdi aut conuenire valeat: ve-  
rūm à nefariis absens eos secundum ordinem rei  
militaris aut disciplinam agere non finit. *Idem, de  
bello Vandil. lib. 2.*

*Bellum prosus incertum.*

Belli fortuna non in tuto semper consistit: nam  
& multos spes ea fecellit, quod ad se esset victoria  
peruentura: & qui rem malè gessisse plerunque  
sunt visi, superas ex insperato hostem postea con-  
cigit. *Idem de bello Goth. lib. 2.*

Plerique

## GNOMOLOGIA:

Plerique dum belli euentum operiuntur, elusi sunt demum in rebus maximis. *Idem, lib. 1.*

In incerto positus est belli euentus: nec mortaliū quispiam fortunę prenōsse queat sententiam. *Idem, lib. 2.*

### Belli viciſtudines.

Quis ignorat belli viciſtudines non certa necessitate accidere, nec eos qui nunc forte falluntur eandem semper sortiri fortunam? sed aliter longe, ut pleraque euenire. siquidem compertum est ad vičtos ſaþe redire victoriam, & calamitosos plerūque à fortuna iuuari. *Agath. lib. 3.*

### Beneficentia.

Officium tēpore p̄æſtitūrum ingratorū nomen mutare consuevit. *Proc. de bello Vandil. lib. 2.*

### Beneficj.

Qui amicos beneficiis afficere connituntur, nullo pacto sunt per hos incusandi, vel si per ea quæ non nunquam iniucunda forsitan sunt, his gratiam facere videantur. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

### Beneficium.

Par est ut qui priores beneficia contulere, vel gratiam parem ut referant, benefactorum viciſtudinem. *Idem, lib. 2.*

## C.

### Calamitas.

Propria cuique & sua calamitas, si nondum universa gente deperdita sit occurſura, apud sanæ mētis homines haudquaquam consolatione priuatur. *Idem, lib. 1.*

### Calumnia.

Pro salute deliberantे ſimul & confiliū dantem minimē fas est calūniā timere. *Idē de bello Vandil. lib. 1.*

### Clementia.

P̄æteritorū p̄oenitentia his qui errauerunt clementes reddere ſolent iniuriā paſſos. *Idem, lib. 2.*

## GNOMOLOGIA.

### Commeatus.

Ea vos subeat cogitatio velim, maximum in bello momentum bellique apparatum commeatus copiam esse: nam qui necessariis ad vitam rebus indigent, ut ab hoste vincatur necesse est. Non enim fames ipsa sat nouit cum virtute cohabitare, quam elurire & strenue agere humana natura nil ferat. Idem, de bello Goth. lib. 3.

### Consilium.

Negocium consilio præuenire oportet: decidetur vero post factū penitere, scutissimum. Idem, de bello Vandil. lib. 1.

### Constantia.

Quæcunque infasta fortuna tulit, generose feres, omnia reputando quæ homini necessaria contingere possunt. Si autem illa, mala hæc aliquo modo tibi compensare parata est, id suscipere omnino de dignaberis? an non similiter à fortuna mala nobis atque bona computanda? Idem, lib. 2.

Rebus prosperè succedentibus, maioris demetia fuerit præ cognita velle iterato perdiscere: rebus vero aduersa fortuna delatis, inutile duxerim non protinus se casibus coaptare. Est namque firmitas, omnis in his iudicanda quæ ratione nitatur, præsentibus vero insistere haudquaquā semper est laudabile, nisi accedat cum rebus ipsis & sapientia. Quum autem illud contigerit, ea ut nos contemnamus, quæ opus est meminisse, & minus de centibus inhæredum ducamus, qui ad priora accesserit & semel contépta, magis est incusandus, quam qui se ad alia transferat. Agath. lib. 3.

### Consultatio.

Séper præcedere consuevit consultatio, obscuraque; & ambigua opportunè castigat: ubi vero mox consultando, quid sit agendum aperte dignoscitur, tunc de num est necesse ut adsit, & consequi velle, & pero-

## GNO MOLOGIA.

& peroptare, quæ placita sunt. *Agath.lib.3.*

### Connicia.

Non in omnes iactantia vti oportet, neque proximos probris, nullo modo ad rem pertinentibus, semper incessere. *Proe.de bello Pers.lib.1.*

### Crimina.

Criminum magnitudo misericordia ab his admittit qui iniuria sunt affecti. *Idem, de bello Goth.lib.3.*

### Cunctatio.

Prudens cunctatio seruare satis est apta. *Idem, de bello Pers.lib.2.*

Rerum gestarum maximæ, non temporis celeritate, sed bonis consiliis dirigi rectius solent: plurimque enim sua dilatio, cum se denum oportune obtulerit: virilatatis plurimum adserit: studium vero & nimia properatio, ubi nec decenti nec suo tempore proferuntur, multis rei conficienda spem intercidit: facilius quippe imparata aliqua multitudo viribus, oppugnata hostilibus vincitur, quam qui cum minoribus copiis, sed alioquin quam bene instructis in certamen se conferunt. *Idem, de bello Goth.lib.1.*

Quibus salutis spem forte allatura est moræ, vercordiæ proculdubio argueruntur, si anticipando periclitandoque rerum summam in discrimen deduxerint: hi vero quibus cunctando & prolatando difficilis certamen efficitur, si plusculum id ad breve extraxerint, huius nimirum moræ potius sint incurandi, quam acceleratae ac subitæ petulantiae. *Idem lib.2.*

### D.

#### Decretum Dei.

Ea quæ Deus decrevit, nullatenus prohiberi possunt. *Proc.de bello Vandil.lib.1.*

#### Delictum.

Nil prorsus delinquere, nec humanum esse equum.

CCc. j.

## GNOMOLOGIA.

dem reor, sed præter mortalium ipsorum naturam.  
*Idem, de bello Goth. lib. 3.*

Delicta corrigerem Imperatorem admodum decet. *Eod. lib.*

### Desperabundi.

Non procul esse ab optimis & modestissimis moribus hi videntur, qui paulo ante, et si sepe ac multum prosperis fuere fortunæ casibus communiti, vbi paululum deliquerunt, prorsus animis concidunt: quod sanè nihil aliud præfert, quam dignari ac planè negare se homines esse. nā nullo tempore quempia falli, diuinitatis est propriū. *Idem, eod. lib.*

### Desperatio.

Qui de salute cogiturn desperare, nec opere quidem, nec verbis decorum seruare de cætero poterit. *Idem, eod. lib.*

### Deus.

Amat Deus non quidē astutos, aut aliquid domi machinantes, sed extrema in angustia constitutos, modo non sint improbi. *Idem, de bello V ad. lib. x.*

Deus in auxilium iusta petebitis semper adesse solet. *Eodem lib.*

Deus supplicum contemptores odisse solet. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

Deum nullius iniustus sentiet adiutorem. *Idem, de bello V andil. lib. 1.*

Quando Deus male quid ut eueniait homini decrevit, consilium ac mentem imprimis ei auferit. *Idem, ibid.*

Sine ullo delectu, vel temere Deus humano generi, vel priuatæ cuiquam rationi ferre præsidium non consuevit: sed his quam maximè fauet, apud quos æquitatis ratio habetur: & illi haudquam difficile est ad alios bona transferre, ut qui rerum omnium habeat potestatem. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

Ea quæ

Ea q  
næ virt  
Goth. li  
Fas o  
proced  
Om  
otio ve

Qui  
sanè ne  
des in h  
fenserit

Ade  
uant,  
tabant. I

Verb  
elle mor  
ficiia op  
probè d  
nanda. P

Vene  
minem t  
Dolo  
ts omne  
paratis v

Qui st  
rel igno  
Prae. de bi  
Decer  
ia subdit  
a verila f

## GNOMOLOGIA.

Ea quæ rerum naturam excedunt, non humanae virtuti, sed Deo sunt adscribenda. *Idem, de bello Goth. lib. I.*

Fas dicere non est quædam à Deo sine ratione procedere. *Idem, de bello Pers. lib. 2.*

### Disciplina.

Omnis disciplinæ ratio exercitatione augetur, otio vero debilitatur. *Idem, de bello Vandil. lib. I.*

### Dissentientes.

Qui varia sentiunt versari non possunt simul, & sanè nec timore intercedente nec beneficio, diu fidès in his stabilis manet, ni forte eadém & rectius fenserint. *Agath. lib. 3.*

### Dissidium.

Adeo dissidium perniciosa res est, vt diuisi corruant, qui adunati cæteros omnes viribus terrabant. *Iorn. de reb. Getic.*

### Doctrina studium.

Verborum, quæ ad felicitatem traducunt, nulla esse mortalibus satietas debet: vel si quos fortè inscitia opprimat rationis, quādoquidem eorum quæ probè dicuntur beneficia nullo modo sunt aspernanda. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

### Dolor.

Vehemens dolor in consilium peruersum hominem trahere aptus est. *Idem, de bello Vandil. lib. 2.*

Doloris vehementis acerbitas & robur & vires omnes absunt, vt ne præsenti audacia rebūsq; paratis vti permittat. *Eod. lib.*

### Duces bellii.

Qui summae rerum præficiuntur, vti se gesserint, vel ignominiam vel laudem perpetuò referunt. *Proc. de bello Goth. lib. I.*

Decet vtriusque exercitus duces propria gloria subditorum salutē ducere potiorē, quæve æqua & utilia sunt non sibi solum diligere, sed hostibus,

## GNOMOLOGIA.

vel ut cuncte infensus, & hac via præsentes difficultates dissoluere: nam quæ mediocria sunt concupiscere, quas cuncte demit molestias: contendingo vero & dissidendo, nihil peragi potest quod deceat. *Idem, lib. 2.*

### Dux belli.

Dux optimus profecto ille putandus, qui ex bello pacem disponere sit aptus. *Idem, de bello Pers. lib. 1.*

### E.

### Ebrietas.

Si quis Barbarus proximum per ebrietatem occiderit, ac venia propterea postulata se criminis solutum duxerit, peccata licentia longe peiora fuerint. Neque enim illa ratione fas ebrium esse, multò minus in exercitu fas militi proximos ob id interficere. Ipsa enim temulentia, vel cæde non consequente, pena est digna: quanto magis si cædes consequatur, multòque item magis in proximum quam in alienum. *Idem, de bello Vandil. lib. 1.*

### Eloquentia.

Est eloquentia ipsa res quædam difficilis oppugnato, quippe quæ vniuersas mortales & capere & perterrefacere queat, eos præcipue qui nondum fuerint quid de se oratio valeat, periclitati. Sed non omnino prudenti hæc animo, & ex rerum pendenti iudicio non peruincibilis est. *Agath. lib. 3.*

### Exercituum clades.

Vniuersos imperatoris exercitus unum corpus esse existimato: quos si forte ut hominis membra non unum sentire contigerit, sed seorsum ab inuicem disiunctos gerere aliquid velle, ducibus proculdubio relinquetur, ut eorum quæ deceant quum nihil egerint, utriusque simul dispereant. *Proc. de bello Gosh. lib. 2.*

### Exilium.

## GNOMOLOGIA.

### Exilium.

Illi qui semel imperauerit, exilium nequaquam tolerabile. *Idem, de bello Pers. lib. I.*

### Expeditio bellica.

Felix procinctus, auxiliantium suave collegium habere, & solatia illorum, quibus delectat etiam ipsa famul subire discrimina. *Iornand. de reb. Getic.*

### F.

### Fames.

Vbi fames compareret, cum cæterorum malorum obliuione homines inuadit, & propter mortem hanc ex se prodeuntem quoduis aliud mortis genus voluptati ut sit mortalibus facit. *Proc. de bello Goth. lib. 2.*

### Fata.

Morituros & in otio fata præcipitant. *Iornand. de reb. Getic.*

### Felicitas.

Non procul à veritate antiquum puto prouerbium, Quod non pura Deus bona, sed malis semper aliquibus admixta præbet hominibus: neque rism sine fletu habemus: risque secundas semper calamitas quædam subsequitur, ac voluntatem tristitia comitatur: denique legitima sinceraque quædoque felicitate frui nusquam datur. *Procop. de bello Pers. lib. 2.*

### Fletus.

Non oportet eos, qui iniustè pereunt flere. *Idem, de bello Pers. lib. I.*

### Fædera.

Par est ut qui pro ineunda societate ad proximos veniunt, imprimis edoceant iustiora quædam se deprecatum venisse, & futuris ut sociis, ita & sibi percommoda, & ut in eam sententiam verba mox faciant. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

### Fœderati.

Qui recens in amicitiam venerint, non infortu-

CCC. iii.

## GNOMOLOGIA.

nio , sed beneficiis decenter affecti , seruare fidem consueuerunt. *Idem, de bello Goth. lib. 1.*

### Fortes.

Pauci virtute instructi maximas queunt hostiū copias profligare. *Idem, eod. lib.*

### Fortitudo.

Viri virtutem non coptæ res arguunt , sed peccata res designant. *Idem, eod. lib.*

### Fortuna.

Fortuna vbi primum aduersa conspicitur, ipsam ab ea decadentem mentem prosternit, atque in servitutem redigit. *Idem, de bello V and. lib. 2.*

In rebus sese offerentibus neglecta , non æquè postea redire solet. *Eod. lib.*

Quæcunque supra humanas sunt vires , vel his qui spe sua nonnunquam fallātur, veniam præbēt, & ut crimine vacent efficiunt : fortuna semper ad seipsum trahente rerum gestarum delicta. *Idem, de bello Goth. lib. 2.*

### Fragilitas humana.

Humana fragilitas dum suspicionibus incurrit, magna plerunque agédo occasionem rerum intercipit. *Iornand, de rebus Getic.*

### Fugaces.

Nondum in belli periculum venientibus nulla potest accidere turbatio : si autem ad manus ventum fuerit , anxietate metuque capti in confusionem ( vt par est ) consuetam faciles cedendo incident. *Procop. de bello Persico libro primo.*

Fugere idcirco homines solent , aciémque a signa deserere , ut superstites esse possint. Quòd si mortem & hanc quidem conspicuam illatura est fuga , profecto qui discriben subierit longè tutior erit , quam qui fugam capesserit. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

### Futura.

## GNOMOLOGIA.

### Futura.

Homines multa sibi ipsis incommoda, ob futurorum ignorationem inferunt. *Idem, de bello Pers. lib. 2.*

Ex præteritis factis contemplari futura homines queunt, & in tuto eadem constituere. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

Solent mortales dum rerum præsentium admiratione capiuntur, & plerunque simul inscitia, futura quædam præfigire, & dum molestiis opprimuntur, temere contemplando futura prædicere. *Eod. lib.*

### G.

#### Generosi.

Generosos homines semper & vbiique fortiter agere decet. *Procop. de bello Vandil. lib. 2.*

Viri generosi & fortes, vel si aliqua in re fortasse fallantur, vt vtcunque ad vota aliquid minus successerit, apud hostes existimant suam autoritatem inaminui. *Idem, de bello Gothic. lib. 1.*

#### Gloria.

Longè præstat cum virtute pugnando perire, quam sine certamine turpiter incolumem feruari: quem hæc, proditio potius quam salus appellati possit. *Idem, de bello Pers. lib. 2.*

Plurimum sibi laudis pariunt, non qui inferiores deuicerint, vel qui in minori apparatu animi magnitudine præstet. Qui verò suapte natura sunt timidiiores, his vt audaces se præstent contulerit maximè. Nam omnes plerunque, quibus à ferro & armis res pendent, solo periculorum cōtemptu incolumes fiunt. *Idem, de bello Goth. lib. 2.*

#### Gratitudo.

Ei qui ex necessitate gratiam fecerit succumbat neceſſe est, qui beneficio sit affectus. *Idem, lib. 3.*

CCC. iiiij.

## GNOMOLOGIA.

H.

### *Historia:*

Ciuili philosophia historiam haud longè inferiore duxerint, ni forte plus aliquid conferat. Siquidem hæc ipsa historia haud secus ac domina, nec mutabunda quidem, nec adulatrix, iubet plerique & plane constituit, quibusnam sit inhærendū, queue sint fugienda: & perinde necessitatem persuadēdo immissetur, in animos se dum insinuat, virtutēmque collocat, vbi primūtū alicibili virtut oratione, vel exemplorum varietate, vel yti cōdimentis, qua narrantur, excolit: ea dicendo confirmans, in quibus homines rectiore consilio vīsi, vel forte pro cuiusquam sententia, sine fortuna duce & hac aduersante falsi quandoque à recto decoroque aberauerint. *Agath.lib.1.*

### *Hostes contempnendi, qui.*

Hostes qui nostræ tanqūm externæ inordinatio ni consili contra nos veniunt, vbi se spe frustratos esse senserint, facile pugnam derrectant. Multitudo vero qua se illi timeri putant, omnino est despicienda. *Procop.de bello Pers.lib.1.*

### *Hostes non contempnendi.*

Nemo hostes contempnēdos idcirco ducat, quia multitudine sunt inferiores, vel quia cum deuictis sit decertandum, & in eos eundum, qui fracti iam animo sint. Multi namque falsa opinione decepti, se ipsos sāpius fefellerunt, & dum importunè alias parui faciunt, partas iam vires dissoluere potuerūt. Nam alias antehac res male gestæ viros solent ad egregium aliquod facinus factitandum hortari, nimirum cum fortuna ipsa vel desperantis iam rebus ad optima quæque & maxima audendum compellit. *Idem, de bello Goth.lib.3.*

### *Hypocrite.*

Qui versuti sunt & subdolis moribus, & falsam  
præ

## GNOMOLOGIA.

præ se ferunt benignitatem, verbisque ex arte de-  
linientibus credulos fallunt, sunt proculdubio inu-  
tiles. *Agath. hist. lib. 6.*

### I.

#### *Ignanitia.*

Stultorum arbitror esse hominum à Deo pete-  
re, ut det euenire meliora, ipsis aduersus ire timen-  
tibus, ac in causa existentibus ut contra eueniat.  
*Procop. de bel. Vandilic. lib. 1.*

#### *Ignorantia.*

Qui præ ignorantia semel circumuenti fallun-  
tur, si rursum in infortunium recidant, quia minus  
periclitando præuideant consueram sibi calamita-  
tem, haudquam ex aduersante fortuna id fieri  
videbitur, sed quia se deliquisse plane ignorent.  
*Proc. de bello Goth. lib. 3.*

#### *Inuidia.*

In magna felicitate euenire solet inuidia. *Procop.*  
*de bello Vandilico, lib. 2.*

#### *Imperator.*

Delicta corrigerem, Imperatorem admodum de-  
cer, ut chayos præterea & amicos soletur, eius &  
dignitatis est, & prudentiae: quo fieri, ut non solùm  
nunc ipsi à molestis quondam illatis & grauibus  
subditi vindicentur, sed statim ut liceat imperato-  
ris benevolentia frui, quia re nil dignius afferri po-  
test mortalibus. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Sine administris non potest fieri in bellicis re-  
bus imperator. *Idem, ibid.*

#### *Imperium.*

Spretum imperium deficiente quotidie robore  
continuo fluit atque deficit. *Proc. de bello Pers. lib. 1.*

#### *Impij.*

Facile iij debellantur, apud quos nec diuina qui-  
dem, nec humana iura sat valent. *Proc. de bello Goth.*  
*lib. 3.*

## GNOMOLOGIA.

### *Impius.*

Qui amicissimo atque charissimo insidias tendit, consanguinitatis ac necessitudinis iura violando, quanquam victoriae superstes, non fatum vitare, sed facinoris conscientia pñnam prorogare videtur. *Idem, de bello Vandilico, libro 2.*

### *Improbi.*

Improbi homines nec in prospera quidem, nec in aduersa fortuna suos immutare mores sat possunt: quos tamen dum aduersi aliquid patiuntur occidere solent, & ita ut dum finitimè opera indigent, cogente necessitate vel suam quidem occultent improbitatem. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

### *Imprudentia.*

Quibus de rei summa periculum imminent, stultum est alia curare. *Procop. de bello Vandilico lib. I.*

Ea quibus præsentia pro votis procedunt, velle aliter immutare, profecto inutile duxerim. *Idem, de bello Goth. lib. I.*

### *Inconstantia hominum.*

Mens quæ in amicos prauitatis & inconstantiae semel arguitur, diuertere ab æquitatis via assiduo solet. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

### *Infelices.*

Hominibus quibus cum male agi ceptum, necessæ est aduersa semper contingere: & quæ felicia fuere, in perniciem verti. Plerique nimurum, post adeptam voto libertatem, & post declinata pericula, vel cum eadem fortunæ saepius indulgentia desperditum eunt. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

### *Infidus.*

Qui suapte natura non est infidus, haud quam cum fortuna simul cõmutaturus est animū.

*Procop.*

## GNOMOLOGIA.

*Procop.de bello Goth.lib.1.*

Qui instabilis est , inconstantia morbo laborat,  
simil ac timere incæperit, vel suimet amantissimi  
debitam negaturus est fidem. *Ibid.*

*Ingenium humanum.*

Mos est hominum , res nouas alienis periculis  
spectare & experiri velle. *Idem, de bello Vandilico*  
*libro 1.*

*Inimicitia.*

Amicitia multas apta est obtegere querelas : i-  
nimicitia verò nec minima sustinet errata, sed o-  
mnia superiora scrutatur , nec præterit hostes  
qui auctiores ex alieno sunt facti , decertantque  
pro quibus maiores lœsi fuere. Et quanquam in i-  
pso periculo succumbit , prospera tamen quando-  
que sua recuperat, docetque victos veniam petere  
præteriorum. *Idem, lib.2.*

*Inuria.*

Qui iniuriam facere volentibus vires tribuerit,  
is causa putandus est. *Idem, de bello Pers.lib.2.*

Quicunque finitimis iniuriam inferunt, sive id  
ignorantia egerint, sive obliuione , merito debent  
in eos se clementiores præstare; qui ab se sunt mala  
perpessi,nam peccandi quæ inciderit fortuito cau-  
sa, maximā delicti his adimit partē, & deprecatur.  
Si quis verò præmeditatus iniuriam infert , huic  
certè nihil reliquū fieri quo eius facta excusat: quip  
pe quem non solum rei patratæ crimen, sed volun-  
tatis etiam culpam vt ferat , par erit. *Idem, de bello*  
*Goth.lib.3.*

*Iniusti.*

Deū sibi aduersum constituunt, non qui sua se-  
rentes ad alios credunt, sed qui aliena inuadētes in  
belli periculum deducunt. *Idem, de bel.V and.lib.2.*

*Iniusitia.*

Vim adferre, & ex alienis pasci, turpe semper ac

## GNOMOLOGIA.

probosum videtur, quod iniustum in ipso feratur.  
*Idem, de bel. Vandilic. lib. 1.*

Delinquere, & in deliquentes inferenda suppli-  
cā intercipere, ut equidem reor, æquē se habent.  
*Idem, de bel. Goth. lib. 3.*

### *Insolentia.*

Insolentia ipsa desuetudōque in anxietates ple-  
runque & turbas inducunt. *Idem, de bel. Goth. lib. 1.*

### *Iusurandum.*

Iusurandum inter homines supremum ac firmis-  
timum fidei pignus esse videtur. *Procop. de bel. Pers.*  
*lib. 1.*

### *Iudicium.*

Homines ex euentu fortunæ, quæ prius consul-  
ta sunt, iudicant. *Procop. de bel. Vandilic. lib. 1.*

### *Iuuenes.*

Solent animi iuuenum ambitu potentiae conci-  
tari. *Iornand. lib. de rebus Getic.*

### *L.*

### *Legati.*

Magna quædam & inclita oratorum dignitas est,  
& apud omnes mortales alioquin honorabilis. Sed  
tandiu id in se muneric retinent, quo ad ipsi suæ le-  
gationis officium feruent. Nam hominem occide-  
re qui legatione fungatur, tunc quidem & iure pro  
humanis legibus licet, cum regem videbitur contu-  
melia affecisse, vel si adulterium commiserit. *Pro-  
cop. de bello Goth. lib. 1.*

Constat apud barbaros omnes id lege cautum  
esse. Oratores & legatos ut hi plurimum colant  
& venerentur. Mihi verò (*Totile dictum*) qui virtutis  
sibi aliquid compararūt, honorem deferre simul  
& reuerentiam iam pridem studium fuit. Sed orato-  
ribus delatos honores: siue illatā his ignominiam,  
non personarum mansuetudine, sine verborum tu-  
miditate & elegantia discerni reor, sed quum vera  
quædam

## GNOMOLOGIA.

quædam satentur, vel non sanis admodum verbis  
vtuntur. Oratori itaque illi honor deferri maximè  
solet, qui veritate mox patefacta ad suos dimitti-  
tur: sed is ignominia præ ceteris affici, qui vbi com-  
mentitia quædam & subdola verba fecerit, ad suos  
mox redeat. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

### *Libertas.*

Non ita graue est in malis senescentem usque ad  
extremum viuere, quam à malis semel liberatum  
rursus in eadem recidere; quod medio tempore bo-  
na degustanti difficilis, vt par est, calamitas reuersa  
videatur. *Idem, de bello Vandil. lib. 2.*

### *M.*

### *Magnanimitas.*

Animi promptitudinem tandem profuturam esse  
existimo, & magna laude dignam, quandiu modera-  
ta est, ne cunctaræ quid adfert se possidentibus. Nā  
& bona omnia cum nimia fuerint, in deteriora ver-  
ti confuevere. *Procop. de bello Goth. lib. 2.*

### *Malevolentia.*

Natura inest iniuria affectis continuò malevo-  
lentia. *Idem, de bello Vandil. lib. 1.*

### *Mendaces.*

Illud deceptionis perspicuum sit argumentum,  
quod qui falsa persuaderi velit, maiori quodam ver-  
borū ornatū & varietate indiget, unde delinimen-  
tis utatur, & quibus desipientes pelliciat. *Agath. his. lib. 3.*

### *Miles.*

Bonus miles propriè tantum virtuti confidit, i-  
gnauus verò alterius. *Procop. de bello Vandil. lib. 2.*

### *Milites strenni.*

Sat calleo maxima in bellis momenta bellantiū  
voluntatem fortiri, istorūmque ad pugnandum ani-  
mus propensior est, quam multa ex officio geri co-  
fueruisse. *Idem, de bel. Goth. lib. 1.*

## GNOMOLOGIA.

### Moderatio.

His velle qui ad penitentiam & sanam cupiunt redire mente, hostiliter insultare, nec sanctū equidem duxerim, nec humanitatis officio dignū. *Idem.*

### Modus.

Quod modum excedit, ubique caendum est sapientibus: vel si id in laude fortè sit cōcessum, quatenus his tamen gloriandum, qui pro rebus olim egregiē gestis forsitan efferuntur, quoad crudelitas ipsa & confidentia ex animo propulsare prudentiā nequeant, vel se ad insolentiam prorsus euchere. Enī verò qui ad id prouectū demētiae sunt, vt nec moderati quipiam audire, nec pensi queant, profecto vel ad Deum ipsum oppugnandum sunt euasuri. *Agath. hist. lib. 1.*

### Mors.

Mors etsi acceleratius venerit felices semper ex præterita ac prosperiore fortuna homines reddit. *Procop. de bello Goth. lib. 3.*

Semel nato non mori quandoque minimè concessum. *Idem, de bello Pers. lib. 1.*

### N.

### Nobilitas.

Eos, quibus contentio est de maioribus, maiorē etiam in pugna virtutē præ se ferre decet. *Idem, de bello Vandil. lib. 2.*

### Nomina rerum.

Non me præterit magnas turbas inter homines rerū nomina immutata concitare: veluti, si qui humanitatem dicere improbitatē velint. Inde rectiora quæque corrumpi ac perturbari contingit. Sinsistrū quippe & planè improbū est, eos qui leges ad verū acrius circumscribere profitentur, earū nominibus pro velamentis, ad impietatem & nequitiam vti, vt peccare intrepide, & prauitatem præ se tutius ferre queant. *Idem, de bel. Goth. lib. 3.*

### Obedientia.

## GNOMOLOGIA.

O.

### Obedientia.

Futuro iam domino non profus-gratificari, de-  
mentiae est. *Idem, de bel. Goth. lib. 1.*

Occasio.

Occasio reliqua omnia intra se continet. *Idem,*  
*lib. 1. de bello Pers.*

Præstat præuenientem in tuto esse, quām bene  
gerendæ rei occasione amissa turpiter ab inimicis  
pati. *Idem, lib. 2.*

Rerum humanarum momēta in occasionis per-  
ceptione consistunt. Nam si per ignauiam quis for-  
tunam paratam neglexerit, si sua culpa ab ea de-  
feratur, nequaquam illā sed seipsum accuseret. *Idem,*  
*de bell. Vandilic. lib. 2.*

Opportunitas.

Opportunitatis momenta redire omnino ne-  
sciunt. *Idem, de bel. Pers. lib. 1.*

Non ei qui temporis opportunitatē neglexerit,  
nec se rebus gerendis tunc statim accommodauer-  
rit, in posterum licebit, quod omissum est, reuoca-  
re. *Agath. hist. lib. 4.*

P.

Pax.

Bonum esse pacem apud omnes homines in con-  
fesso est, quibus paulū rationis existit: si quis au-  
tem ipsam turbare sit inuentus, malorum causa sibi  
ac proximis fuerit. *Idem, de bello Pers. lib. 1.*

Pacis federa soluere, nihil aliud esse quis di-  
xerit, quām hominum cultum in ferarum vitam  
commutare. Nam si dissidentes inter se nunquam  
conuenirent, infinitum omnino bellum esset: quod si finem non est habiturum, de statu hominum ac  
naturæ eos, qui in illo occupantur, est decorum di-  
mouere. *Idem, lib. 2.*

Pecunia.

Pecunias qui non ad necessitatē sit

## GNOMOLOGIA.

consecutus, bellum (vt reor) gerere nunquam satis  
commode poterit. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

*Perfidia.*

Fœdera soluunt, non qui iniuriam patientes à  
proximis desciscunt; sed qui fœderatos habere ali-  
quos postulantes, deinde violat. *Idem, de bello V an-  
dil. lib. 2.*

*Pericula.*

Necessaria, nec prorsus voluntaria eligentes pe-  
ricula, Deus semper adiuuat. *Idem, de bello Persico  
lib. 1.*

In periculum non necessarium sponte se conii-  
cere, magna est clementia. *Ibid. lib. 2.*

*Prælia.*

Belli momenta, aut ducis virtute, aut fortunæ  
felicitate constant. *Idem, de bello V andil. lib. 2.*

In præliis nihil quicquam aperte potest clamo-  
ribus denunciari, tum armorum præ crepitu, tum  
bellantium sensibus præ turba ac formidine occu-  
patis. *Idem, de bello Goth. lib. 2.*

*Princeps.*

Potentissimi ac longe prudentissimi principis  
est, ex bello magis pacem quam ex rebus quietis  
tumultum nihil sibi ac proximis profuturum exci-  
tare. *Idem, de bello Pers. lib. 1.*

*Proditor.*

Qui proditoris usus beneficio est, accepta qui-  
dem ex gratia, repentina quadam, vt victor, affici-  
tur voluptate: suspicione tamen in posterum du-  
ctus veretur simul & odit, ob eius facinora, benefi-  
cum proditorem, ut qui in seipso expertus afferuet  
& caueat proditionis iudicia. *Idem, de bello Goth.  
lib. 1.*

*Prudentia Dei.*

Humana omnia procedunt, ita ut Deo placitum  
est. *Idem, ibid.*

*Prudentes*

## GNOMOLOGIA.

### Prudentes.

Solent qui difficultates & infornitia quādoque evaferint, prudentia hos longē superare qui nondum fuerunt infelices. *Idem, lib. 2.*

### Prudentia.

Präsentibus vti bonis præstat quam fugientia querere. *Idem, de bello Pers. lib. 1.*

Securum, antequam pericula veniant, cogitare quid agendum: denique magnopere profecerit in rebus obeundis vti temporis opportunitate. *Idem, de bel. Vandil. lib. 1.*

### Pudor.

Pudor ante omnia ob oculos militum in acie stantium versari debet: hac vna res enim omnium fortissimos reddit. *Ibid. lib. 2.*

### Pugna.

Facile adsumit pugnandi necessitatem, cui fuggendi imponitur difficultas. *Tornand, libro de rebus Getic.*

### R.

### Res maximæ.

Res maximæ non temporis breuitate, sed proborationis consilio ac corporis labore gubernantur, quæ quidem hominibus non admodum repente succurrunt. *Proc. de bel. Pers. lib. 1.*

### Rex.

Non ex purpura seu quoquis amiculo, & extrinsecus aliis quæ visunt ornementis, regium nomen est cuiquam tribuendum: sed ei qui æquitatem exerceat, nec decentia aspernetur, & cupiditates his solum rebus emeriatur, quæ animi stabiliunt sapientiam. *Agath. lib. 4.*

Regis boni officium, mansuetū esse omnes adfirmant. Nam cædes ac bella facere, ciuitates diripere, agros depopulari, aliis forte conuenit hominibus, bono nequaquam. *Procop. de bell. Pers. lib. 2.*

DD d. j.

## GNOMOLOGIA.

S.

Sæuitia.

Sæuitia & æquitas nec iungi inter se possunt,  
nec commisceri. *Agath.lib.4.*

Sapientes.

Sapientum est temerarios fortunæ casus præ-  
noscere, & rerum vicissitudine nihil commoueri, nec  
cum his simul, quibus priuati iam sumus, vel futu-  
rorum spem amittere. *Idem, lib.3.*

Securitas.

Præstat securum esse in quiete, quam cum pe-  
riculo in laboribus. *Procop.de bello Vand.lib.1.*

Strategemata.

Eos qui æquis cum hoste viribus concurrunt,  
aperte ac statim ad manus venire absurdum non  
fuerit: at qui longè inferiores existunt, strategema-  
tis artib[us]que reliquis utilius inimicos circumue-  
nire, quam in aciem manifestam eundo clarum a-  
dire periculum. *Idem, de bello Pers.lib.2.*

Stulti.

In mediis certaminibus pœnitere cœptorum  
consuevere, qui inconsideratus res ipsas aggre-  
diuntur. *Idem, de bello Goth.lib.1.*

Stultorum est, innumeris velle calamitatibus,  
ob gratiam repentina contentionis & peruvicaciae  
affici, nec ullam molestiarum solutionem denique  
inuenire. *Idem, lib.2.*

Superbi.

Paratam felicitatem serpentibus numen irasci  
confucuit. *Idem, de bello Vandil.lib.2.*

T.

Taciturnitas.

Sermo in castris circumlatus, arcana conseruare  
non nouit: quoniam velociter procurres ad hostes  
usque diffunditur. *Idem, de bello Pers.lib.2.*

Temerarij.

Temerarij

## GNOMOLOGIA.

Temerarij longè facilius audentes vocantur, quām cauti & prudentes. Qui enim præter officiū sit quidpiam ausus, ex aliorum benevolentia, quibus forte vir acer sit visus, honorem assequitur. *Idem, de bel. Goth. lib. 3.*

### Timiditas.

Hæsitabunda & formidolosa peritia egregium aliquid audere haudquaquam consuevit. *Idem, lib. 2.*

### Timor.

Timor mentem agens attonitam non sinit vtiliora decernere. *Idem, de bello Pers. lib. 2.*

Misericordiam haudquaquam recipit timor. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

### Tyrannus.

Optat tyrannus mundi generale habere seruitium: causas prælii non requirit, sed quicquid commiserit, hoc putar esse legitimum. Ambitum suum brachio metit, superbia licentiam satiat. Ius fasque contempnens, hostem se exhibet naturæ cunctorum. Omnia meretur hic odium, qui in communione omnium se approbat inimicum. *Tornand. lib. de reb. Getic.*

## V.

### Viciſtudo rerum.

Humana sæpe contingit à Deo mutari. *Procop. de bello Vand. lib. 1.*

Fieri non potest ut res humanæ plerunque in contraria aduersaque non deuoluantur, vel eodem ut semper statu procedant. *Agath. lib. 4.*

### Victoria.

Victoria omnes opes in eam partem in quam inclinauerit, deferre est apta. *Proc. de bel. Vand. lib. 1.*

Magnam vim habet ad victoriam obseruatio iustitiae. *Idem, ibid.*

Victoria omnia damna tegit, præteriorumque oblita malorum semper noua meditatur. *Eod. lib.*

## GNOMOLOGIA.

Non in numero aut multitudine bellatorum,  
sed in ordine atque fortitudine belli exicus ac ro-  
bur consistit. *Idem, lib. 2.*

Nil maiori esse voluptati mortalibus potest,  
quam hostem armis per vincere. *Idem, de bello Goth.*  
*lib. 1.*

Non armis adeo ac pietate paratur victoria. Nec  
enim reor bonitatis illius summae præsidio frui  
prauos & nefarios viros. *Agath. lib. 3.*

### Vita suavis & acerba.

Victoribus vita felix & suavis est : victis autem  
nihil acerbius est, quam toto tempore spem in ho-  
stium misericordia collocare. *Procop. de bel. Vandil.*  
*lib. 2.*

### Vita inconstans.

Apud mortales eodem statu permanere diu ni-  
hil potest. *Idem, de bello Goth. lib. 3.*

### Vtilitas publica.

Facile omnes appetunt, quæ pro cunctorum v-  
tilitate tentantur. *Iornand. lib. de rebus Getic.*

## GNOMOLOGIAE FINIS.